



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Beatissima Virgo Maria quomodo venera[n]da sit, inuocandaq[ue] in  
cunctis necessitatibus & periculis: quibus item exercitijs, studijs, quibusúe  
temporibus sit potissimum honoranda ac amanda. Cap. L.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

*Beatissima Virgo Maria quomodo veneranda sit inuocandaque  
in cunctis necessitatibus & periculis: quibus item ex-  
ercitijs, studijs, quibusue temporibus sit  
potissimum honoranda ac  
amanda.*

## CAPVT L.

**¶** Maria  
quid à serui-  
lis suis re-  
quirit.

De mulieri-  
bus nunquā  
cogitandum

Imploratio  
auxilij Iesu  
& Mariæ.

Quinque ad  
honorem B.  
Mariæ obser-  
uanda quæ.

**S**I vis seruuus esse beatæ Mariæ, audi versum hunc, & quid à te velit beata Maria, ex hoc intellige: *Compunctus, taceas, humilis, mitis, serenus.* Esto semper *compunctus*, hoc est, in exercitio aliquo sancto verferis ad Deum, nihil tibi leue, terrenumque libeat. *Taceas*, De silentio satis supra intellexisti, præriter de humilitate. Esto *mitis*, vt iræ motus cohibeas, & nemini quid impropres, neque ignominia, verecundiæve quenquam afficias, sed a quo tranquilloque animo accipias omnia. Esto *serenus* in exteriori homine, ita tamen vt leuitatem declines, maturitatem serues, & compunctioni studeas. Postremo mei amore (inquit gloriosissima Dei mater Maria) nullam de seculo, vel de statibus aliorum cogitationem, præsertim nullius mulieris memoriam admittas, (nisi illarum quæ in cælo sunt virginum sanctarum & sponсарum filij mei,) sed cor tuum mihi purum tineas, vt ego illud sola inhabitem cum filio & possideam. Et omnia debita tua diligenter & attente persoluas. *O Domina mea sanctissima virgo Maria, ego hæc omnia libenter facere decreui & intendo: sed scio quia sine filij tui gratia, & tuo adiutorio nihil præualebo. Adiuua igitur infirmitatem meam, reprime malitiam meam, & dele superbiam meam: & fac vt quicquid virgineo tuo cordi pudicissimo & castissimo, quicquid præ dilectissimo filio tuo placuerit, deuotissime faciam, voluntatem & beneplacitum vestrum in nullo præteream: sed iuxta delectabilissimum cor illius vestrumque impendā. Ab date mihi propter vosmetipsos verā & profundissimā humilitatē, seruentissimā charitatē, promptissimā, & perfectissimā obedientiā, simplicitatem, castitatem, patientiam ac perseuerantiam. Ad honorem beatissimæ semper Virginis, quinque tibi sunt stabiliter obseruanda. Primum est, nullam cogitationem de seculo, de secularibus personis, statibusve alienis, neque bonam neque malam, scienter in cor tuum intromittere, sed quasi non sit seculum cuncta præterire & nescire, & deo vt cogitatio tua extra cellam, imo extra teipsum non eat, sed inter Deū, & te solū versetur. Secundum est, nunquā de aliorū defectibus vel negligētis cogitare, quod scilicet hoc vel illud faciāt, & huiusmodi, sed mox huiusmodi cogitationes reijcere, & te ad aliud conuertere, antequā cogitatio te ad iudicandum abducatur. Tertium, de nullis rebus aut factis, quæ tibi commissæ non sunt, vel quæ ad te non spectant, cogitare, loqui cum alijs, aut tractare, sed ribijosi intendere. Quartum, nunquam, loqui nisi necessaria, vel interrogatus. Quintum, horas de tempore & de beatâ Maria deuotius, quam hucusque fecisti, persolueres, vt quid legis attendas, & occupationem cordis tui in hoc solo exerças, sæpiusque quomodo ab-*



huc deuotius possis legere inuestiges, proponas, & studeas. Ad honorem sanctissime Dei genericis virginis Mariæ nullus sit dies, quo non singulare quid obsequi illi insendas. Sabbato autem maximè, in quo aliquid semper fit, quo eius amore abstineas, vel à vino, vel à cœna, vel ab albo aut recenti pane, aut re alia huiusmodi, quæ tibi quidem et si delectabilis foret, ea tamen absque periculo cœtere potes. Itaque illa tibi subtraha, quamdiu sanus fueris, ob illius amorem. Pro amore & veneratione huius Virginis interdum saltem, si non valueris quotidie, elemosynam præbe. Si non est tibi res temporalis, quia aut ipse pauper, aut religiosus es, non habens proprium, da elemosynam spiritualem: ora pro contristatis, ora pro defunctis tribus vicibus. *Aue Maria*, &c. aut succurre proximo in auxilio, obsequio, consolatione, aliove officio charitatis. Ut verò ad hoc tempus habeas constitutum, post cœnam, aut collationem lege eam, quæ cani solet, antiphoniam: *Media vita, in morte sumus, quem quaerimus adiutorem, nisi te Domine, qui pro peccatis nostris iuste irasceris. Sancte Deus, sancte fortis, sancte immortalis & misericors, amare morti ne tradas nos, cum oratione: Pietate tua quaesumus omnipotens Deus. Et. Fidelium.* Aut aliud, quod volueris. Sabbatis præcipue post vespèras vacandam est deuotioni erga beatissimam virginem Mariam, vel rosaria, vel psalterium (vt vocant deuoti) legendo, aut meditando. Habes autem meditationes & exercitia multa ad hoc conuenientia, in Pharetra diuini amoris & alijs. Nihil animo tuo inhæreat firmius, quam vt beatissimæ virgini Mariæ quotidie cultum aliquem aut venerationem exhibeas. Post Deum non sit ad quem tanto ferueas amore, atque ad hanc Virginem eximiam, pulcherrimam piissimam, misericordissimam ac gloriosissimam. Eius sanctitati, eius excellentiæ, eius denique gloriæ totus largabundus gratulare. Hanc in matrem tibi elige, atque vt te filium accipiat, agnoscat, teque dignum efficiat, votis omnibus pete. Nulla sit dies, qua singulare quid illi in obsequium ac venerationem ipsius non offeras. Duodecim recole gaudia beatæ Mariæ, siue duodecim eius consolationes, siue priuilegia, quæ habuit in præsentī vita: Rogans vt in solo Deo obtineat tibi verum gaudium, mortificata omni affectione vitiosa, & vt post hanc vitam mortalem immediate ingressum tibi ad beatam vitam impetret, absque medio, omnique impedimento. Sunt autem eius gaudia hæc: *Primum*, quod ab æterno inter omnes creaturas vna electa est, quæ Dei creatoris sui fieret mater & cooperatrix redemptionis nostræ. *Secundum*, quod ab omni peccato, ab omni vitio, ab omni denique macula præseruata est, tota semper pulchra, vtpote quæ nunquam Deo displicuit, nunquam in se habens quod Deo displiceret. *Terrium*, quod virtutum, gratiarum, honorumque omnium plenitudine, quantum pura capere potuit creatura, excellentissime post Christum decorata fuit. *Quartum*, quod virgo Deum de Spiritu Sancto concepit. *Quintum*, quod eundem nouem mensibus in vtero, non grauatam, sed miris consolationibus diuinis plena portauit. *Sextum*, quod eundem sine dolore intacta & integra virgo peperit. *Septimum*, quod lacte suo virgineo eundem aluit. *Octauum*, quod triginta tribus annis eundem cohabitantem secum habuit, vbi creberrimis consolationibus ex eius aspectu, præsentia, & colloquijs recreata est. *Nonum*, quod eundem obedientem & sibi subditum vidit. *Decimum*, quod eius prædicationes audiens, dum illum sequeretur, non absque miro cordis gaudio videbat quæ gloriose fiebant ab eo. *Vndecimum*, quod sub cruce sola in fide perfecta,

YY 3

&amp; in re-

VI  
6

B Maria quotidie aliquo obsequio honoranda.

Elemosyna duplex ad honorem B Mariæ danda quæ.

Sabbatis deuotioni ad B Mariam vacandum cuiusmodi sit.

Maria virgo quanto amore prosequenda.

Gaudia B. Mariæ duodecim quomodo recollenda.



et in redemptione nostra eidem cooperans, pro nobis patienti afficit. *Undecim* *num.* Quod modo super omnes angelorum choros exaltata, coronata est imperatrix cœli, sedens à dextris, hoc est, in potioribus bonis cœlestibus, filij sui. Hæc gaudia quotidie recolat, & pro singulis Christo, quod patri hæc eadem suæ contulerit, gratias agat. Vbi si tantum habueris temporis, singulis gaudijs angelicam adijcias salutationem. Sunt item alix quinque petitiones à beata Virgine petende. *Prima*, Pro vera poenitentia, vt lugeas perfectè contritus, & vitæ possis omnia peccata. *Aue Maria. Secunda*, Vt amor mundanus, atque omnialius à Deo extraneus in te moriatur, charitate vera sempiterna ac inextinguibili replearis. Ipsaque Maria magnis suis meritis magnum tibi hoc donum impetret. *Aue Maria. Tertia*, Vt perfectissimam tui ipsius abnegatione voluntatem Dei ames atque perficias. *Aue Maria. Quarta*, Vt in præsentia vita à peccatis totus merearis expiari. *Aue Maria. Quinta*, Vt tandem passio Christi, & sui, hoc est, beate Mariæ virginis castissimus, feruentissimus atque fidelissimus amor patri tuo indelebiter imprimatur. *Aue Maria.*

Petitiones  
quinque à B.  
Virgine pe-  
tendæ, quæ

*Passionem Iesu vt quotidie meditari, exercereque in ea quisque  
debeat sese: vulnera quinque Christi quibus modis  
veneranda sint: vtque Sancto-  
rum vita ob oculos con-  
stituenda.*

## CAPVT LI.

Passio Chri-  
sti quomodo  
facile potest  
exercenda  
sit quotidie.

**E**Xercitium nullo die tibi non sit de passione Domini, quo Christo pro eius charitate gratias agas, quo eius passionem & vulnera pro tuis, atque vniuersi mundi peccatis, offeras: ipsum pro virtutibus, atque vt ad sui terrarum imitationem roges. Debes autem eius passionem non solum orando, gratias agendo, aut meditando venerari, sed etiam operando atque bene viuendo, vt in illius honorem quidem hæc facias, nunc verò illa intermittas, aut abstineas. Si in capite, si in pectore doleas, hunc tuum dolorem Christi dolori, quem in eodem corpore pretulit membro, vnias, atque ex eiusdem Christi dolore virtutem tibi patiendi donari roges: & sic tandem in vnione amoris Christi, quo pro te multa præterea sustinuit grauiora, eidem dolores tuos in gloriam & beneplacitum ipsius offeras. Si inter eos habitas, vbi virum perfectum, quem imiteris, non inuenieris, (quod tamen non facile credideris ita esse, sed à te præparâ proximos tuos crede iudicari) tu ipse statuas tibi effigiem perfecti viri aut perfecti monachi in cor tuum, aut etiam ob oculos hanc scribe, & iuxta eius vitam tu illum imitando, viue. Imaginare igitur aliquem fratrem aut sanctum virum qui ita disciplinam seruet in moribus, vt nusquam excedat: ita in membris sit compositus, vt ad nihil in necessarium se moueat: ita in sensibus custoditus, vt ad nulla inutilia se effundat: ita in lingua circumcisus, vt nisi interrogatus, & ad necessaria vix respondeat: ita verecundus, vt inter omnes fratres nunquam rideat: in dno vix residere audeat: ita humilis & simplex, vt omnes recte agere, & se solum in multis errare, esseque defectuosum credat: ita feruens, vt quasi vno die omnia

Perfectus a  
lingua imi-  
tandus.

Perfecti ho-  
mims defectus  
pno.